

**1982-05-23 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Ex Quo Christus’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***EX QUO CHRISTUS***

VENERABILI SERVO DEI PETRO DONERS, SACERDOTI PROFESSO  
CONGREGATIONIS SS.MI REDEMPTORIS, BEATORUM HONORES DECERNUNTUR

Ad perpetuam rei memoriam. – Ex quo Christus Dominus ut homines salvos faceret descendit de caelis et homo factus in terris verusque omnium Magister maxima in peccatores misericordia est usus nec haesitavit aegros sanare et egenis subvenire aut angore confectis, nunquam defuerunt complures germani discipuli eius et Evangelii praecones, qui, tanti Magistri vestigiis insistentes, se potissimum ad eos converterunt, qui prae ceteris visi sunt digni mira Christi caritate. Neque dubitari potest quin, eiusmodi exemplum secutus, ipse Dei famulus Petrus Donders e Congregatione SS.mi Redemptoris iam nunc in Beatorum numero publice sit habendus. Is, cum Tiburgi in Hollandia die septimo et vicesimo mensis Octobris anno MDCCXIX natus esset, eo ipso die baptizatus est, die autem quarto decimo mensis Novembris anno MDCCCXXIII Confirmationis unctionem accepit. Etsi inde a pueritia se vocari a Deo sentiebat ut sacerdotium appeteret, accidit tamen ut, propter pecuniae inopiam, studia ad tempus intermisserit, ut patrem in textoris opere adiuvaret. Aetate vero duorum et viginti annorum in oppido vulgo «Sint Michiels-Gestel» Seminarium Minus ingressus est tamquam alumnus operarius privato sumptu eiusmodi studiis deditus, quae postea in Seminario Maiore plane complevit. Sacerdos anno MDCCCXLII factus, ut missionarius postero anno ad Hollandicam tunc Guianam profectus est et sedem in urbe Paramaribo habuit, statimque curas pastorales non solum in duo milia catholicorum ibi degentium, sed statutis diebus etiam in auctochthones servitatem adhuc servientes et in praesidiarios milites necnon in Indos variosque nigri coloris homines alacriter coepit conferre; et maxime quidem omnibus eo tempore affuit, quo multi quadam pestifera febris contagione affecti moriebantur. Profecto illud «omnibus omnia factus» (*I Cor 9, 22*), si verum fateri volumus, praedicari debet de clara praelaudati missionaria virtute. Qui in publico leprosorum valetudinario Batavo perquam efficacem navavit Cappellani operam, sive ante sive post quam Congregationis SS.mi Redemptoris sodalis est factus. Ut talis enim, eiusmodi religionis votis nuncupatis, ipse in suo missionarii munere permanxit, quod, frequentioribus et gravioribus haud obstantibus cuiusque generis difficultatibus ipsoque mortis periculo, inter nigros Indos vulgo «Arauchi» et «Waros» et «Caribi» appellatos tam impense explevit tantaque vi eosdem docuit viam salutis, ut tum leprosorum tum auctochthonum nigrorum superiore saeculo in Hollandica olim Guiana commorantium magnus apostolus meritissime nunc habeatur. Ibidem inter eos ipsos, quorum multos amando lucratus es Deo, fidelis ille Dei famulus, tam bene de Gentium evangelizatione meritus, qui praeterea iam ante mortem vir sanctus habebatur in terris, animant Deo reddidit die quarto decimo mensis Ianuarii anno MDCCCLXXXVII Bataviae, in Surinamia, exque eo tempore plurimi Christifideles corpus eius venerantur in Paramariboensi cathedrali templo pie asservatum, tamquam corpus eius ipsius mirabilis viri, qui iam pridem «sanctus Pater Donders» non sine causa appellari meruit. Cuius sanctitatis fama cum longe lateque, post eius mortem, percrebruisset, tandem processus beatificationis instruendo opera est data. Ordinaria inquisitione ab anno MCM ad MCMIII tam in dioecesi Buscoducensi quam in Paramariboensi peracta, Decretum introducendae causae die quarto decimo mensis Maii editum est anno MCMXIII atque in memoratis dioecesis Processus Apostolici anno MCMXIII et MCMIX instrui coepit sunt. Posthac, cum Decretum die sexto decimo mensis Iulii anno MCMXXIX editum esset de iuridicali peractorum Processuum validitate a praestatutis coetibus exquirenda, tandem die vicesimo quinto mensis Martii anno MCMXXXV Summus Pontifex Pius XII ve. me., ob felicem talis inspectionis exitum, denuntiavit Servum Dei Petrum Donders christianas virtutes heroum in modum coluisse. Post igitur quam ab alterius miraculi probatione veniam Paulus VI, Decessor Noster desideratissimus, benigne in annum sacri Iubilaei MCMLXXV concessit, statuere necesse fuit constarene prius miraculum, venerabili Petro Donders intercedente, a Deo patratum esse. Hoc vero constare decreverat Processus canonicus apud Curiam Buscoducensem anno iam MCMXXXII expletus, cuius ipsius validitatem Sacra Congregatio pro Causis Sanctorum ratam habuit anno MCMLXXIII; quemadmodum, praeter eandem Sacram Congregationem, alter peritorum coetus anno MCMLXXIII, alter autem anno MCMLXXVII patrati miraculi veritatem agnovit. Quorum sententia ac vota postero anno Arius a Praelatis Consultoribus ad speciale concilium vocatis, postea ab Em.mis S. R. E. Cardinalibus in maximum seu plenarium consessum congregates, confirmata sunt. Nos igitur, unanimis votis acceptis, per Decretum die quarto et vicesimo mensis Februarii anno MCMLXXIX editum statuimus de memorato miraculo revera constare in casu. Precibus deinde auditis Nobis adhibitis, petentes absolvimus ab altero miraculo argumentis probando, ita ut, permisso Nostro, ad ulteriore procedi posset in Beatorum honoribus venerabili Servo Dei Petro Donders decernendis. Die itaque praestituta, hodie mane acta est beatificatio tum eius, tum Mariae Rivier et Mariae Rosae Durocher, tum Angelae Mariae Astorch atque Andreae Bessette, qua re, in area ante Basilicam Petrianam patente, plurimis adstantibus

fidelibus, hanc formulam inter Sacra elocuti sumus: «Nos, vota fratrum nostrorum, Ioannis Bluysen, episcopi Buscoducensis, Ioannis Hermil, episcopi Vivariensis, Pauli Grégoire, archiepiscopi Marianopolitani, Francisci Xavier Azagra Labiano, episcopi Carthaginensis in Hispania, necnon plurium aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Sacrae Congregationis pro Causes Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut venerabiles Servi Dei Petrus Donders, Maria Anna Rivier, Maria Rosa Durocher, Maria Angela Astorch, Andreas Bessette, Beatorum nomine in posterum appellantur, eorumque festum die ipsorum natali: Beati Petri Donders, die decima quarta Ianuarii, Beatae Mariae Rivier, die tertia Februarii, Beatae Mariae Rosae Durocher, die sexta Octobris, Beatae Mariae Angelae Astorch, die secunda Decembris, Beati Andreae Bessette, die sexta Ianuarii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti».

*Datum Romee, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Maii, anno MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quarto.*

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*